



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Divi Thomae Aqvinatis Doctoris Angelici Opera Omnia

Summa diligentia ad exemplar Romanæ Impreßionis restituta
Complectens Primam Secundæ, & Secundam Secundæ Summæ
Theologiæ

Thomas <von Aquin, Heiliger>

Venetiis, 1593

6 vtrum requiratur ad eam perfectio corporis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72759](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72759)

Vtrum ad beatitudinem requiratur aliqua perfectio corporis.

Supra artic. 5. & locis ibi inductis q. 1. per totam.

q. 3. artic. 8. artic. 5. praecedent.

* Cap. 26 in princ. & li. 22. ca. 26. in princ. 10. 5.

* Cap. 35. 10. mo. 3.

* Aliquantulum ante medium & est 71. 56. 10. 3.

AD SEXTVM sic proceditur. Videtur, quod perfectio corporis non requiratur ad beatitudinem hominis perfectam. Perfectio enim corporis est quoddam corporale bonum: sed * supra ostensum est, quod beatitudo non consistit in corporalibus bonis. ergo ad beatitudinem hominis non requiratur aliqua perfecta dispositio corporis.

¶ 2 Præ. Beatitudo hominis consistit in visione diuinæ essentiae, vt * ostensum est: sed ad hanc operationem nihil exhibet corpus, vt * dictum est. ergo nulla dispositio corporis requiratur ad beatitudinem.

¶ 3 Præ. Quanto intellectus est magis abstractus a corpore, tanto perfectius intelligit: sed beatitudo consistit in perfectissima operatione intellectus. ergo oportet omnibus modis animam esse abstractam a corpore: nullo ergo modo, requiratur aliqua dispositio corporis ad beatitudinem.

SED CONTRA. Præmium virtutis est beatitudo. vnde dicitur Ioan. 13. Beati eritis, si feceritis ea: sed sanctis repromittitur pro præmio non solum visio Dei, & delectatio, sed etiam corporis bona dispositio. dicitur enim Isault. Videbitis, & gaudebit cor vestrum, & ossa vestra quasi herba germinabunt. ergo bona dispositio corporis requiritur ad beatitudinem.

RESPON. Dicendum, quod si loquamur de beatitudine hominis, qualis in hac vita potest haberi, manifestum est, quod ad eam ex necessitate requiritur bona dispositio corporis. Consistit enim hæc beatitudo secundum philosophum, in operatione virtutis perfectæ. Manifestum est autem quod per inualitudinem corporis, in omni operatione virtutis homo impediri potest. Sed si loquamur de beatitudine perfectâ, sic quidam posuerunt, quod non requiritur ad beatitudinem aliqua corporis dispositio: immo requiritur ad eam, vt omnino anima sit a corpore separata. vnde Aug. * 12. de ciui. Dei introducit verba Porphyrii dicentis: Quod ad hoc quod sit beata anima, omne corpus fugiendum est. Sed hoc est inconueniens: cum enim naturale sit animæ corpori vniri, non potest esse quod perfectio animæ naturalem eius perfectionem excludat. Et ideo dicendum est, quod ad beatitudinem omnibus modis perfectam, requiritur perfecta dispositio corporis & antecedenter, & consequenter. Antecedenter quidem, quia ut Aug. * dicit 12. super Gene. ad literam, Si tale sit corpus, cuius sit difficilis & grauis administratio, sicut caro, que corrumpitur, & aggrauat animam, auertitur mens ab illa uisione summi celi. unde concludit, quod cum hoc corpus iam non erit animale, sed spirituale; tunc angelis adæquabitur, & erit ei ad gloriam quod sarcina fuit. Consequenter vero, quia ex beatitudine animæ fiet redudantia ad corpus, vt & ipsum sua perfectione potatur: unde Aug. * dicit in epist. ad Dioscorum. Tam potest natura Deus fecit animam, ut ex eius plenissima beatitudine redundet in inferiorem naturam incorruptionis vigor.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod in corporali bono non consistit beatitudo, sicut in obiecto beatitudinis: sed corporale bonum potest facere ad aliquem beatitudinis decorem, vel perfectionem.

AD SECVNDVM dicendum, quod etsi corpus nihil conferat ad illam operationem intellectus, qua Dei essentia videtur: tamen potest ab hac impedire,

A & ideo requiritur perfectio corporis, vt non impediat eleuationem mentis.

AD TERTIVM dicendum, quod ad perfectam operationem intellectus requiritur quidem abstractio ab hoc corruptibili corpore, quod aggrauat animam: non autem a spiritali corpore, quod erit totaliter spiritui subiectum, de quo in tertia parte huius operis dicitur.

ARTICVLVS VII.

Vtrum ad beatitudinem requirantur aliqua exteriora bona.

BAD SEPTIMVM sic proceditur. Videtur, quod ad beatitudinem requirantur etiam exteriora bona. Quod enim in præmium sanctis promittitur, ad beatitudinem pertinet: sed sanctis repromittuntur exteriora bona, sicut cibus & potus, diuitiæ & regnum. dicitur enim Luc. 22. Ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo. & Mat. 6. Thesaurizate vobis thesaurum in celo. & Mat. 25. Venite benedicti patris mei, possidete regnum. ergo ad beatitudinem requiruntur exteriora bona.

2. 2. q. 18. artic. 3. ad 4.

¶ 2 Præ. Secundum Boetium in 3. de consol. Beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: sed exteriora sunt aliqua hominis bona, licet minima, vt * Aug. dicit. ergo ipsa etiam requiruntur ad beatitudinem.

Prof. 2. circa principium.

Lib. 5. de lib. arbit. c. 19. & 1 retract. ca. 9. tom. 1.

¶ 3 Præ. Dominus Matt. 5. dicit. Merces vestra multa est in celis: sed esse in celis, significat esse in loco: ergo saltem locus exterior requiritur ad beatitudinem.

SED CONTRA est, quod dicitur in Psal. 72. Quid enim mihi est in celo? & a te quid volui super terram? quasi dicat, nihil volo nisi hoc quod sequitur, Mihi adherere, Deo bonum est. ergo nihil aliud extra Deum ad beatitudinem requiritur.

RESPON. Dicendum, quod ad beatitudinem imperfectam, qualis in hac vita potest haberi, requiritur exteriora bona, non quasi de essentia beatitudinis essentia, sed quasi instrumentaliter deseruientia beatitudini, quæ consistit in operatione virtutis, vt dicitur in 1. * Ethic. Indiget enim homo in hac vita necessariis corporis tam ad operationem virtutis contemplatiuam, quam etiam ad operationem virtutis actiuam, ad quam etiam plura alia requiruntur, quibus exerceat opera actiuæ virtutis. Sed ad beatitudinem perfectam, quæ in visione Dei consistit, nullo modo huiusmodi bona requiruntur. Cuius ratio est, quia omnia huiusmodi bona exteriora, vel requiruntur ad sustentationem animalis corporis, vel requiruntur ad aliquas operationes, quas per animale corpus exercemus, quæ humanæ vitæ conueniunt. Illa autem perfecta beatitudo, quæ in visione Dei consistit, vel erit in anima sine corpore, vel erit in anima corpori iuncta, non iam animali, sed spiritali: & ideo nullo modo huiusmodi exteriora bona requiruntur ad illam beatitudinem, cum ordinentur ad vitam animalem. Et quia in hac vita magis accedit ad similitudinem illius perfectæ beatitudinis felicitas contemplatiua, quam actiuam, utpote etiam Deo similitior, vt ex * dictis patet: ideo minus indiget huiusmodi bonis corporis, vt dicitur in 10. * Ethic.

Cap. 7.

* q. 3. art. 5. * Cap. 5.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod omnes illæ corporales promissiones quæ in sacra scriptura continentur, sunt metaphoricè intelligendæ: scilicet quod in scripturis solent spiritalia per corporalia designari, vt ex his quæ nouimus, ad desiderandum incognita consur-